

phiæ partibus desumptis id efficere semper laborarunt: quibus utique nec nostra historia hic suam opem deneget. Enimvero, qui recte procedere laborat, illi enitendum est, ut ostendat sapientiam humanam cum divina collatam ignorantiam esse, stultitiam, & ad fallendos animos hominum inani splendore coruscantem doctrinam. Hæc duobus modis ostendi queunt: vel enim philosophus omnes animi vires adhibens tentat quo progredi ipsemet possit, indeque perspicit, quæ sint rationis tenebræ, errores atque phantasmata: vel omnes, qui ante nos vixerunt, percurrit philosophos: Indos, Chaldaeos, Æthiopes, Ægyptios, Scythas, Thraces, Græcos & Latinos, ibique ignorantiam reperit & stultitiam, quæ cognita ignorantia manu ductrix est ad solidam, quæ divinis litteris traditur, eruditionem. Istuc pertinet celeberrimi D. TREVNERI (quem præceptorem pio affectu potius, quam inani verborum strepitu veneramus) programma, quo philosophiam à miseria philosophorum commendat; huc faciet historia philosophica recte riteque exulta.

§. IX.

Dum enim recte sapiens historiae philosophicæ studiosus ea, quæ extant, philosophorum excutit monumenta, reperit apud illos insignem quandam rerum etiam mentosissimarum ignorantiam, aut male sibi constantem cognitionem v. c. ortus hujus universi, ortus linguarum, ortus corruptionis nostræ, ortus dominiorum, civitatum, decori, imo ortus ipsorummet hominum, quæ quidem omnia planius dilucidiusque a quodam philosophorum, quam fecit MOSES, ostensa fuisse, probari non potest, ita ut simul Moses erroris vel absurditatis convincatur. Unde cum hæc & utilia sint cognita, & innato quodam sciendi appetitu cognosci anhelentur, recte concluditur: ignorantiam hancce luminis connati deducere nos debere ad agnoscendam divini & revelati luminis veritatem, ubi iterum viam monstrantem habemus, venerandum

*De ejus usu ad ostendendam Gentilium ignorantiam & plagia.*